THAMAR VINDICATA

DRAMA SACRVM

FRANCISCI LAVRENTINI

Muficis adaptatum modulis

A D. FRANCISCO DE MESSI

MEDIOLANENSI

Canendum

IN SACELLO ARCHICONFRATERNITATIS

SANCTISSIMI

CRVCIFIXI





ROMÆ, Apud Io: Francifcum Buagni. MDCCVI.

Superiorum Facultate.

ARGOMENTO.

Amnone Figliuolo di Dauid inuaghito d'vna sua Sorella per nome Tamar condusse a fine i suoi incestuosi desiderij. Absalome Fratello della medesima iritato per l'afronto riceuto dal Fratello Amnone tra le allegrezze d'vn conuito gli tolse con inganno la vita in vendetta dell'ingiuria fatta a Tamar sua Sorella. *Regum 2. cap. 13.*

L'Autore si protesta che le parole, fato, sorte Fortuna, sono menzogne Poetiche, e non veri sentimenti da Cattolico.

ACTORES.

THAMAR.

AMNON.

ABSALOM.

IONADAB.

PARS PRIMA.

Amn. 
Amnon in-felix Amnon,
Tibi amare non licet
Neque licet odisse ? amo Sororem
Non vt frater deberet
Sed vt amans auderet.
Ah cur sum frater tuus
Cur tu mea Soror es, si amorem vetat
Necesitas amandi:
Cum tu sis nimium mea
Mea non es cara Soror.
Heu lex nimium crudelis
Fratri negans amico
Quod concedis externo, & inimico.
Quod natura nos iubet Amare
Mihi est crimen amare Sororem
Vt me posit fortuna vexare
Reddit hostem amoris amorem. Quod &c.
Verum quid vltra plebem
Regij possent amores
Nisi possent amare etiam Sorores.
Cum sit amor amabilis error
Iubet crimen sed splendide iubet.
Non damnatur commune delictum
Nec pænæ est addictum,
Quasi virtus quod omnibus lubet,

Ion. O spes Isacidum, Patris ò decus tui?
Votumque Regni, pectore casto excute
Incestuosas, atque auernales faces
Dum restat animus hactenus potens sui
Longequè sentit tacitum, & obrepens scelus:
Ne crede amori, dulciter primò subit,
Serpitquè venis grande; mox crescit malum,
Et sceptra meretis factus è puero gygas

 Ser-

Solus coercet; neù possit corde egredi,
Euellit alas penitus ac subdit faces,
Amor similis est fulguri,
Quod blanditur luce amabili,
Mox interficit horrore.
Leuis Vapor terra exoritur,
Sed euectus inter nubila
Cęlum territat fragore Amor &c.

Amn. Ionadab, non ignoro
Mentis insaniam meæ;
Sed nouisse quid iuuat,
Si ad augendum delictum
Postquam illud cognoui, & cupio, & volo?
Ah possem ignorare
Quod non possum vitare;
Saltem quod scelus est, error fuisset.
Sed hoc in magnis esse criminibus solet,
Quod magna cognoscantur, & tamen fiant

Io. Falleris, & hoc scelus
Magis ignoras Amnon, quo magis tibi
Notum videtur.

Am. Labor in præceps sciens.

Io. Sciens quod peccas, nesciens peccandi modum.

Am. Modum seruare nequit quicumque est furens.

Io. Est modus aliquis etiam furori additus.

Am. Ecquis furori suam
Abstulit libertatem,
Vt me reddat nocentem?

Io. Ecquid affectas furere, dum non furis?
Mentem, ac mentis robur
Nondum perdidit omne,
Quicumque mentis noscit Iacturam suæ.
Compesce amoris, frater, illiciti faces,
Ac posse cura fortiter quod adhuc potes.
Dum non totum ardet pectus
Flammam remoue, & ardorem.

Excu-

Excutiendo sæui affectus
Nimis duram seruitutem,
Verte crimen in Virtutem,
Et insaniam in splendorem. Dum &c.

Am. Si peior odio est Amor,
Quem nos corde fouemus,
Odia sequamur ergo odia excitemus.
Sed quo consilio, & quando
Potes Amon odisse;
Vel si daretur tibi hoc potuisse,
Oderis tuum Amorem,
Oderis temet ipsum non Sororem.

Io. Pendet ab ore suo
Solima mirabunda
Magnum bibens stuporem!
Iam te populi fauor
Canit futurum Regem,
Sperans videre in te nouum Dauidem.
Tu demens tantas sponté fœdabis dotes,
Ac imperij iam tui
Spem donabis Amori?

Am. Amat nefarios facilè vulgus Reges,
Optans largiores leges.

Io. Ferat hos vulgus, licet,
Proceres detestantur.

Am. Et hi nocentem quoque tulerunt Patrem.

Io. Quid ipse Pater dicet?

Am. Betsabeam memorabit.

Io. Absalon reclamabit

Am. Imitabitur fratrem.

Io. Reum te damnabunt Iura.

Am. Magna Veniæ spes est Iudicis rei
Iudicium expectare.

Io. Abhorrescet natura.

Am. Quale connubium primò
Natura instituit ipsa,

 Nisi

Nisi iungendi suam fratri Sororem?

Io. Nec formidandas Numinis horres minas?

Am. Misero, & iam parato

Casus in omnes, emori in Votis erit.

Amo, licet Vltric[illegible]

Vibrent astra furorem;

Et si vitam explebo, explebo Amorem.

Io. Perage quidquid libet;

Dare modum amanti

Idem est ac insano, & deliranti.

Quid terrebit perire volentem?

Quid iam perdet qui perdidit se?

In consilium quis coget Amentem,

In Ius furentem?

Qui te damnat, damnabit & se. Quid &c.

Am. O pars Animæ meæ

Dilectissima Thamar,

Audi votum crudele; vtinam tibi

Minus, iunctus fuissem,

Sic tibi iunctior esse potuissem.

Omnis Amans propinquum optauit

Quod amauit;

Nos contraria mouemur a spe.

Quod in omnibus esset lætitia

Fit mestitia,

Fit naturæ delictum in me. Omnis &c.

Ab. Amnon frater dilecte,

Exue mærorem animi, & curas leua.

Hodiè magno concursu

Iuuenum, & Pastorum

Greges tondentur mei.

Cur fratres adsunt reliqui, & solus abes?

Exple numerum, precor.

Ecce iam vocant nos tubæ lætantes;

Et pecudes ouantes

Floribus coronantur,

Et conuiuia lautissima parantur.
Iam conuiuæ, iam Pastores
Lætos excitant clamores
Cauæ tibiæ foraminibus
Ore, & digitis intenti.
Iam quod audit cantillare
Cæpit echo resonare,
Et respondent arundinibus
Vndæ, volucres, & Venti. Iam &c.

Am. Si licuissent Absalon, quo nunc me vocas
Iam prius adessem, languidi gressus tremunt,
Ceruix fatiscit, ipse sum pondus mihi.
Potero lætus inter
Tot conuiuas sedere,
Et dum lacrymat cor, vultu ridere?

Ab. Sæpè Vesanus timor
Quæcumquè patimur auget, aut fingit mala.

Am. Ipse met nonne vides
Turbata qualis ora suffundat color,
Index morbi crudelis,
Qui mea viscera lædit?
Relinque precor miserum, & grauem sibi.

Ab. Mersa vino, & lętitia
Naufragabit in poculis mæstitia
Veni veni dilecte ad Ouile,
Vbi gramina præbent cubile
Magis gratum quam purpura, & aurum,
Regia est carcer, sed carcer auratus,
Cæde, & sanguine circumuallatus,
Cuius fores
Terunt vigiles semper timores,
Spes ne detur predari thesaurum. Veni &c.

Th. O prima soboles Patris, ac Regis mei
Amnon inclite fratrum,
Genitor qui salutis
Est sollicitus tuæ, mandauit mihi,

Vt Viserem languentem;
Et solarer dolentem.

Am. Hoc a Rege implorarui,
Hoc mihi in votis erat,
Formosissima Thamar.

Th. Pande quo possim modo
Pœnam tuam releuare,
Et vitam meritissimam seruare.

Lucem, & purpuram	Vt in pallidulo
Rursus induite	Ore languidulo
Lumina viuida,	Decrescant Violæ,
Genæ formosæ.	Germinent Rosæ. Luce &c.

Am. Nulla salutis meæ
Nulla spes, cara Thamar,
Superest morituro; excessit omnis
Corpore infirmo vigor,
Quod populatur expers remedij malum.

Th. Quod morbi genus medicam per tot dies
Manum recusat?

Am. Vulnus in corde intimo
Penitus adactum?

Th. Amas?

Am. Ad istos fletus,
Ad hunc oris pallorem,
Ad Suspiria, ad merorem,
Agnosce quantus corda possideat Deus.

Th. Quæ virgo tanti meruit affectus viri?
Tantique demens Principis spernit faces?

Am. Virgo similis tibi,
Cui decor immortalis,
Et cui forma cœlestis, sed lathalis.
Tibi similis est virgo,
Quam sic amo, quam sic diligo;
Tibi pares habet ocellos,
Pares genas, & labella.
Teque refert in imagine

Iucun-

Iucundiſſima, & formoſa,
Quantum Roſæ par eſt Roſa,
Quantum Stellæ altera Stella. Tibi &c.

Th. Non eſt prætium Amoris
Virginem dilexiſſe
Forma ſimilem mihi.

Am. Sed Amoris ad nomen
Cur nivea ſubitus ora turbauit rubor?

Th. Rubor iſte, qui genas inundat,
Nil amabile probat in me.
Parce queſo; ſi me comparare
Potes illi, qnam gaudes amare,
Nil formoſum amatur a te. Rubor &c.

Am. Hæc ſimplicitas tua
Rudis, & verecunda
Te reddit pulchriorem.
Heu me iam rapis mihi.
Lege in oculis tuis
Lege in oculis meis, an ſis amanda.
Noſce frontis dilectæ
Peregrinum nitorem:
Mox redargue ſi potes amatorem.

Tu non amaſti	Non vulnerata,
Nec ſuſpiraſti,	Non inflammata,
Nec dum intelligis	Ignoras gemere,
Quid ſit amare.	Et ſuſpirare. Tu &c.

Th. Amon quis tibi mentem
Dirus euertit furor?

Am. Pone queſo timores,
Lumina eluſit mea
Frontis ſimilitudo,
Et par alteri gratia, & pulchritudo.

Th. Nondum meum cor quieſcit,
Neſcio quid ſecum voluens perhorreſcit
Velut in nidulo
Columba palpitat.

Poſt·

Poſtquam cæruleum
Vidit Draconem
Sic mæſtæ Virginis
Cor aduc trepidat
Adeſſe metuens
Sæuum predonem. Velut &c.

Am. Redit Iterum dolor, & ſalutis
Spes quas,auſeram modo
Te miniſtrante mihi,
Nunc dimittere cogor.
Saltem vox tua ſuauis
Patrij ad numerum plectri
Canat aliquid dulce; ægrum languentem
Sepe cantu ſanari
Noſter edocuit Parens.

Th. Vis vt canam Leonem
Domitum a Parente? an vis vt canam
Relatum Philiſtæo
De Gygante triumphum?

Am. Diuerſa plectrum carmina exornent tuum

Th. Oloferni ceruicem
Cum Iudit obtruncauit,
Sic Vocem triunphalem excitauit.
Dextram fœminæ vertit in fulmen,
Quando cœlum vult impios punire.

Am. Sile, finis lethalis
Aſſyrij Bellatoris
Aures funeſtat meas.
Canas leuiora.

Th. Ioſeph
Exemplar pudicitiæ,
Sic adulteræ amantis
Arguebat deliria,
Repellebat affectus, & ſuſpiria.
Vade torua cupidinis furia,
Vade longe non fœmina Vipera

Ioi-

Inimica pudoris a me
Hęc repulsa dicatur iniuria
Inurbana ac inculta rusticitas
Numen diligo magis, quam te. Vade &c.

Finis Primæ Partis.

PARS SECVNDA.

Tha. 
Indicate Cœli fulmina
Regiæ Virginis honorem.
Vel si languida pendetis,
Nec vim solitam habetis,
A furore imbellis fœminę
Vestrum discite furorem. Vindicate &c.
Summi Rector Olympi,
Qui sæua forti tela contorques manu,
Miraris ista lentus, & nondum tonas?
Aduc serenum est? quo reseruantur faces?
Quo fulminantis dexteræ notus vigor?
An quia terræ delicta
Cœlum ipsum horrescit,
Fulguris iam vibratę ardens vindicta
Torpet in medio cursu, & obstupescit?
Ab. Thamar?
Tha. Absalon heu?
Ab. Quis iste pallor
Trepido in vultu sedens?
Quis iste in oculis ignis, in ore clamor?
Tha. Periere mores, ius, decus, pietas, fides,
Et pudor, & honestas.
Ab. Quid noui fatum parat?
Tha. Hoc meus, hoc frater tuus
Audere potuit?
Ab. Pande quodcumque est mali.

Lo-

Tha. Loquar infelix loquar
Dedecus ipsa meum ?
Ab. Diriguit animus, ossa concussit tremor
Effare aperte.
Tha. Lumina fletu suo
Satis loquuntur, loquitur satis dolor.
Scire pigebit, Absalon, quod scire expetis.
Amnon...... heu nulla obstitit
Sanguinis reuerentia.
Amnon incestuosus.....
Ab. Abunde audiui; Sanguine hoc crimen suo
Impius frater lauabit;
Et damna honoris mei letho instaurabit.
Emulabor in furore
Iram cœli fulminantis.
Absalonem vindicatum
Scribet fatum
In Volumine adamantis. **Emulabor &c.**
Th. Quid te deceat & me nouisti satis,
Audendum aliquid, nulla quod sileat dies,
Et quod referre posteris horreat fama.

Vt impio sangnine	Quod nisi properas
Scelus hoc deleas	Vindicem dexteram
Orat, & imperat	Fraterni es criminis
Nunc dolor meus.	Ipse iam reus. Vt &c.

Ab. Inter pocula, & dapes
Per coniuratos enses
Decreuit animus fratris impuri necem:
Iusta vindictæ causa
Reddit nobiles fraudes,
Et ipse dolus, plectens
Fallaces proditores,
Sumit titulum iusti, & generosi.
Equum si numen est, & mundum regit,
Breui procumbet mei preda furoris,
Mei predator honoris.

Rem

Rem honeſtam non audebo
Vt vlciſcar honeſtatem.
Scelus ſcelere delebo,
Et criminibus docebo
Innocentiam, & pietatem. Rem &c.

Tha. Tegam cordis dolorem
Donec fraternus enſis
Grande expleuerit opus.
Ipſa poſtea cadauer
pede ter, quater calcans
Inſultabo vel vmbræ, & ſepulcralem
Rapiam iacenti pacem;
Quin vt iterum poſſim
Iras implere meas cæde ſecunda,
Oſſa & tumulum perdam,
Ipſamque mortem denuo cogam mori.
Sola victima nunquam
Pudicitia placatur,
Ac deperditus honor reparatur.
Morte viri, quem dedecet viuere,
Parum noſtræ conceditur iræ.
Quod in pœnam tam diri facinoris
Nondum perijt, bis meret perire. Morte &c.

Am. Quis a me me defendit?
Hoſtis ipſe ſum mihi, ipſe ſum bellum,
Ipſe ſum culpa ſimul, & flagellum.

Larua terribilis	Quocumque refero
Ora circumuolans	Greſſus, & lumina
Funeſta imagine	Larua terribilis
Territat me.	Obijcit ſe. Larua &c.

Forſitan dolor meus
Ab anguſto receſſu
Mœſti cordis erumpens,
Sic apertum per area vagatur.
Vel hac forma adumbratur
Simulacrum amoris

Mi-

Miseri, incestuosi, ac sine spè?
Larua terribilis
Ora circumuolans
Funesta imagine
Territat me;
Erraui fateor; verùm
Crimen excusat meum
Ipsa species erroris.
Sydera in testes voco,
Sponte reus non sum factus,
Sed inuitè, & coactus.
Crimen meum est crimen Fati,
Plus Fortunæ quam mihi imputandum.
Nomen impij, ac scelerati
Sorti potius, quam nobis donandum.
Crimen &c.

Vadam quò vocat Frater,
Forsan ignorat scelus,
Quod amens perpetraui,
Et vanos corde metus
Hactenus excitaui.
Sæpe timor errorem,
Qui leuis est in se, fingit majorem.

Tha. Me miseram, quid feci!
Fratrem armaui in fratrem,
Crimina amborum iure dicentur mea.
Heu cur tituli molles
Sanguinis, & affectus
Iras lenitis meas? sed non armaui,
Vt pudoris iniuriam vindicarem?
Cur nunc retractas vota, Anime vilis?
Cur pœnitet vindictæ? ah potius vellem
Sine crimine crimen propulsare,
Et me sine vindicta vindicare,
Posco cædes, & cruores,
Inde votum timeo meum.

Ho-

Honor imperat rigores;
Pietas inde abſoluit reum. Poſco &c.

Io. Lætare Thamar. Abſalom vindex Tui,
Vt decebat honoris,
Sparſit cruentas cede fraterna manus;
Sed quantum, hæc vindicta habet ſplendoris,
Tantum habet doloris.

Th. Lætor, & doleo ſimul morte illius;
Sed Thamar perijt prius.

Io. Dic melius quod Amnonem
Ipſa prius occidiſti;
Quia tam pulchra fuiſti.
Beneficium naturæ malignum
Eſt in Homine forma ſpectabilis.
Ducit enim ad omne flagitium,
Ad omne exitium,
Tã damnoſa, quã cara, & amabilis. Beneficiũ &c.

Ab. Bene eſt, Peregi Thamar illuſtre nefas.
Vltra aliud queris?

Th. Thamar vt etiam cadat,
Et commune delictum
Fato communi luat.
Nil in pectore meo reſtet cruoris,
Vt nil reſtet ruboris.

Ab. Verum quis hic tumultus
Pectus agitat meum?
Quæ caligantem tenebræ eripiunt diem?
Cur tecta nutant? terræ cur moles tremit?
Iam ſub pedibus meis
Ingens vorago pandit Infernum Chaos.
Video fratris extincti vmbram frementem
Facibus me petentem.
Heu quo me rapiam, tuto quo fugiam pede?
Ignoſce frater, venio iam venio libens,
Pœnas daturus meritas; quid nunc me premis,
Quid obſequentem dextera in præceps trahis?

Sed

Sed . . . . quis Iuuenis ille ,
Flaua coma ſuſpenſus
E trunco viridanti ?
Heu miſerandus ; triplici en video perit
Confoſſus ictu , ſanguinis fluuio madet
Subiecta tellus , parce , quicumque es , precor,
Parce , nam ſimile neſcio quid geſtat mihi.
Parce . . . quid heu quid loquor ?
Iam ſupplicantem ſæua traiecit manus.

Io. Repente en ſilet, modo.
Rapitur furenti ſimilis incerto gradu;
Sequar præcipitem: regiæ proh fatum domus!
Cum non alios inueniat aggreſſores ,
Seſe ipſa deſtruit , ipſa fit hoſtis ſibi.

Th. Adhuc dubitas mori , innocens rea
Tot malorum origo ? hoc de tot bonis
Solum remanet mihi , exige pœnas
Tanto ſceleri pares
Frater hoc cæſus , frater
Vltor decoris , hoc decor , Patria , & Parens
Hoc Iura , hoc aſtra volunt.
Morere. . . . anne mors vna
Tot crimina penſabit ?
Mori debebas prius
Mortem nunc quære viuam ,
Opta renaſci ſæpiùs , & ſæpiùs mori.
Et hoc vt fiat diu ,
Viue pudori tuo , viue dolori.
Moriendo viuere
Non vitam quero.
Mors eſt felicibus
Pœna, non miſeris,
Et fit delictum
Cum mori eſt ſero. Moriendo &c.

„ Auferat crimino ſos
„ Mors populorum greges
„ Publico exemplo viuant vt doleant Reges.

F I N I S.